

373. — THESIS IV. *Inter attributa absoluta ad invicem comparata, eadem viget distinctio ac inter hæc eadem et essentialiam.*

Probatur. Ea virtualiter seu distinctione rationis ratiocinata distingui dicuntur, quæ 1^o unam eandemque simplicissimam habent entitatem, necnon 2^o ob suam præstantiam pluribus æquivalent; unde menti nostræ fundamentum et causam præbent diversorum conceptuum (301).

Atqui attributa ad se invicem comparata 1^o unam habent et quidem simplicissimam entitatem: hæc est essentialia divina, quæ 2^o ob suam summam præstantiam pluribus æquivalet, atque nonnisi per conceptus diversos, qui nobis exhibent attributa distincta, percipi potest. Ergo inter hæc attributa absoluta est distinctio rationis ratiocinata, seu cum fundamento in re.

IV. De divisione attributorum.

374. — Hic in indaganda aptiori partitione attributorum non incumbemus, quum theologi hæc in re valde dissideant. Quapropter principales divisiones enumerabimus, de earumdem idoneitate non iudicantes.

1^o Alii attributa dispartuntur in *affirmativa* et *negativa*, prout obtinentur per viam affirmationis, et terminis affirmantibus de Deo prædicantur, v. g., omnipotentia, omniscientia; vel per modum negationis, et terminis negativis entuntiantur, v. g., infinitus, immensus.

2^o Alii distinguunt inter attributa *quiescentia* seu *immanentia*, et *operativa* seu *transientia*, prout nullam actionem sibi implicent, v. g., simplicitas, immutabilitas, vel actionem important, v. g., omnipotentia, omniscientia.

3^o Alii attributa partuntur in *communicabilia* et *incommunicabilia*, prout cum entibus finitis aliquo modo communicari possunt, vel non possunt. Verum adnotandum est omnia attributa esse communicabilia vel incommunicabilia: sunt communicabilia quando præcendunt ab infinita perfectione: sunt incommunicabilia si tanquam absoluta atque infinita considerantur.

4^o Alii attributa discernunt in *physica* et *moralia*: phy-

sica ad infinitam Dei substantiam spectant, moralia ad voluntatem referuntur.

5^o Alii distinguunt attributa a proprietatibus: attributa sunt perfectiones quæ, præ nostro concipiendi modo, intelliguntur ut aliquid accedens et superadditum ad esse substantiale: proprietates verbò habentur ut diversæ rationes et expressiones ipsius esse. Id manifeste intelligitur de attributis, spectatis non secundum se et objective, sed penes nostrum modum concipiendi et formaliter.

Deinde attributa hæc distribuuntur in *absoluta* et *respectiva*, prout considerantur in seipsis, vel ut adsignificanti terminum a Deo distinctum: itaque relativa important *relationem rationis ad extra*, seu ad *res creatas*.

Intellectus et voluntas inter attributa respectiva aut potius operativa a nonnullis recensentur (1), non secus ac Providentia, quæ operationes importat intellectui simul et voluntati communes.

Ex recensitis partitionibus quænam si accuratior, non inviremus; determinare enim talem distributionem esse vel unice aptam vel aptiorem negotiosa res est.

ARTICULUS II.

De attributis in specie spectatis.

375. — Naturam divinam in suis perfectionibus, veluti solem in radiis promicantem, considerare oportet. Jam antea ad determinandum quid sit Deus, quosdam ejusmodi radios Divinitatis, qui nobis illum Deitatis solem maximo-perè aperiant et quodammodo indignant, pro imbecilli mentis nostræ acie, contemplati sumus. Nunc remanet ut de hisce attributis speciatim eloquamur quæ vel peculiarem aliquam difficultatem habent, vel nostrum de Deo conceptum magis ac magis distinctum efficiunt.

Jam verò attributa divina nominibus negativis vel affirmativis significantur; hine, in primo paragrapho de præcipuis attributis negativis, in secundo, de attributis positivis agere expediat.

(1) Frassen., tract. II theol., de Deo essentialiter operante.

§ I. De attributis Dei negativis in specie spectatis

376. — Præcipua attributa negativa sunt unitas, simplicitas, immutabilitas, immensitas et incomprehensibilitas. Jam antea ad unitatem et simplicitatem conspiciendas, quæ appellatione quidem videntur proprietates affirmantes, sed revera sunt negantes, obtutus nostros admovimus; nunc ergo se nobis offerunt tres posteriores.

I. De immutabilitate.

Antea diximus quid et quotplex sit immutabilitas (400, 461).

377. — THESIS I. *Deus est omnino immutabilis.*

Nota. Hic agitur de immutabilitate absoluta, seu metaphysica: probandum est enim Deum esse immunem a qualibet mutatione (400).

Probatur I. Deus, in quantum ens necessarium, a se removet potentiam sive objectivam (363) sive passivam (364). Atqui id quod mutatur semper constat potentia sive objectiva sive passiva, seu est contingens; nam mutatione aliquid acquirit, vel amittit, et exinde prius concipi debet in potentia ad illud acquirendum vel amittendum. Ergo impossibile est ut Deus non sit immutabilis.

II. Deus est infinitus (II, 343), ideoque nulli incremento obnoxius; atqui mutatio importat accessum vel recessum alicujus perfectionis; mutatio debet esse *perfectiva* vel *amissiva*: ens mutat cum aliquid acquirit, aut se extendit in id ad quod prius non pertinebat. Ergo...

III. Simplicitas hæc summa, quæ Deus fruitur, a se arcet omnimodam compositionem: porrò mutatio aliquam semper importat compositionem: omne quod mutatur, quantum ad aliquid manet, et quantum ad aliquid transit. Ergo...

378. — THESIS II. *Deus est omnino immutabilis, etiam secundum illas intellectus et voluntatis operationes quarum terminus sunt creaturæ existentes pro aliqua temporis differentia.*

Nota. Hæc secunda thesis jam fluit ut corollarium ex superiore. Verum ad uberiorem hujus attributi declara-

tionem, speciatim de hac re disputare oportet, et in quantum creaturæ sunt terminus harum operationum intellectus et voluntatis.

Probatur. Creaturæ dici possunt terminus intellectus et voluntatis divinæ dupliciter, nimirum aut secundum esse ideale, quatenus sunt et representantur in Essentia divina ab æterno, aut secundum esse reale, et prout a parte rei et in seipsis existunt in tempore: priori modo dicuntur terminus æternus et intrinsecus; posteriori autem, terminus extrinsecus et temporaneus. Atqui impossibile est ut sit mutatio in operationibus intellectus et voluntatis divinæ, quocumque modo terminentur. Ergo...

Probo minorem. Quoad primam partem, evidens est creaturæ secundum esse ideale constituere terminationem invariabilem et æternam; sunt enim ipsa divina essentia, quatenus est objectum divini intellectus (209). Ergo ejusmodi terminatio, quæ immutabilis est, nullam prorsus implicat in Deo mutationem.

Sed difficultas solum est an aliquid mutationis Deo accedat dum terminatur ad creaturas in seipsis existentes:

I. Terminatio multiplex, diversa, successiva operationum Dei ad extra in Deum mutabilitatem induceret, si hujus terminationis varietas in ipso principio cognoscente et volente diversitatem actuum necessariò exigeret. Etenim ex mutabilitate terminationis nihil inferri potest ad principii mutabilitatem, nisi modus objecti determinet modum operantis.

Atqui falsum consequens: nam 1^a Deus est ens necessarium, et exindè a termino extrinseco determinari aut pendere nullo modo quit. 2^o Successio et mutatio esse posset in Deo dum creaturas intelligit et vult, si eas non nisi pluribus actibus cognosceret et vellet; sed uno eodemque actu cognoscit et vult Deus, quidquid extra se vult; infinita enim perfectio hujus actus facit ut iste possit ad plura, diversa, successiva, contingentia se extendere quin mutetur: nulla deficientia in Deo concipi potest. Igitur relationes reales ipsius termini creati ad Deum mutantur; sed relatio hujus summae unitatis ad creaturas non potest mutari quin ipsa unitas fiat aliquo modo multiplex seu composita (II, 350).

II. Deus per has operationes diceretur mutabilis, quatenus fieret in ipso accessus vel recessus alicujus relationis. Atqui id manifeste repugnat perfectæ Dei simplicitati: « Deus simplex est, ait S. Augustinus, quia hoc est quod habet, » seu juxta effatum scholæ: *quidquid est in Deo, Deus est*. Ergo non est mutabilis per accessum vel recessum alicujus relationis.

III. Per analogiam confirmatur probatio. Multiplicitas operationum ex eo procedit in essentiis finitis quod earum operationes ob naturæ limitationem semper et necessariò in aliquo deficient. Impossibile ergo est ut qualibet creatura unico actu omnia attingat objecta; inde ipsa naturæ limitatio multiplicitatem actuum exquirat. Imò quò perfectior est cognitio, eò minor fit numerus actuum quibus cognoscibilia pervadit.

Itaque ex analysi constat multiplicitatem actuum intrinsicè colligari cum eorumdem imperfectione. At operationes divinæ sunt perfectionis infinitæ; ergo abhorrent a qualibet multiplicitate et imperfectione.

IV. *Comparatione* illustratur. 1° Sol, dum semel quaeveris emitit suos radios, per hanc unicam irradiationem, entia innumera, diversa, successiva simul colustrat ac vario afficit; licet istæ omnes terminationes moveantur, sol tamen propterea non movetur, nec novas radiorum emissiones peragat.

2° « Quæmadmodum si totum corpus tuum, ait Hugo Victorinus, esset oculus, nec aliud tibi esset esse, et aliud vivere, quocumque se res verteret, præsens tibi non esse non posset, et sub uno visionis ictu immobilis permanens comprehenderes quidquid quoqueversum in conspectu haberet: res transiret, et staret visio, et quocumque sua se mobilitate verteret, stanti non nisi præsens esset. » (1)

Sed hæc sufficiant, siquidem ab ipsis Scripturis commoneatur: *Sicut qui mel multum comedit non est ei bonum, sic qui scrutator est majestatis opprimetur a gloria* (Prov. xxv, 27); et Apostolus ad Rom. : xii, 3. *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.*

(1) L. VII, *Erudit. theol.*, c. xx.

379. — *Corollarium I.* Ex immutabilitate manifesto colligitur nullam esse in Dei existentia successione, nullum initium, nullumque finem, seu Deum esse æternum (464, 465). Id etiam liquet ex eo quod Deus est ens a se, prima causa, etc. Æternitas est ipsa Dei vita quatenus permanens et opposita successioni, sive reali sive possibili. Sicut ergo immensitas excludit imperfectionem in loco vel spatio, ita æternitas repellit limitationem ex qua tempus pendet.

380. — *Corollarium II.* Ex dictis elucet relationes omnes inter Deum et res creatas esse *non mutas* (375, II); sunt enim *reales* ex parte creaturarum, quia a Deo vere dependent, sed *logice* ex parte Dei, cum nihil novi per illas poni possit in divina essentia.

II. De immensitate.

381. — Illud vocabulum *immersum* idem quòd *non habens mensuram* designat, ideoque ex primaria significatione cum infinito coincidit. Sed usus invaluit ut immensitatis vocabulum usurparetur non modo ad designandam eujuscumque limitis exclusionem, verum etiam ad significandam vim quam infinita Dei substantia ex se habet sese præsentem sistendi in omnibus spatiis sive realibus, sive possibilibus, absque ulla sui mutatione locali; ideo, vi hujus perfectionis, creatura in *loco* vel *spatio* in indefinitum possibilis nulla actu esse potest quin Deus ei intime adsit. (1)

Deus solitò dicitur ubique esse præsens triplici modo, nimirum per *essentiam*, *potentiam*, *præsentiam*. Deus est ubique per potentiam quatenus omnia ejus potestati subjiciuntur; per præsentiam, quia omnia nuda et aperta sunt oculis ejus; per essentiam verò, quatenus adhaeret omnibus sua substantia, ut omnium causa. Ita a S. Thomas id explicatur (2).

Hic agitur de inexistencia Dei in loco per essentiam secundum modum antea determinatum (II, 32). Alii modi

(1) S. Th., I p., q. 8 a. 4.

(2) I. p. q. 8 a. 3.

quibus Deus est præsens, ex aliis attributis, nempe scientia et potestate, manant.

382. — *Thesis. Deus est immensus et ubique præsens,*

Nota. Nonnulli theologi distinguunt immensitatem ab ubiuitate et omnipræsentiā: *immensitas* est capacitas sese sistendi in omnibus omnino rebus quin a re aliqua aut loco uspiam definiatur: *ubiuitas* est actualis Dei in omnes creaturas existentes illapsus, seu extrinseca relatio immensitatis; *omnipræsentiā* est specialis Dei assistentiā et operatio ubicumque: habetur ut immensitatis consecrarium. *Thesis* de Deo hæc tria affirmat, hoc est, immensitatem Dei generatim sumptam propugnat.

*Probat*ur I. Essentia divina est infinita in se et in omnibus suis perfectionibus; proprietates enim commensuratur nature. Atqui si capacitas ubique existendi substantialiter esset limitata, Deus non esset infinitus in omnibus suis perfectionibus, neque ejus substantia incircumscripita. Ergo ..

II. Deus operatur in omnibus entibus esse, vitam et operationem, aliās non esset prima omnium causa. Atqui agens debet conjungi cum patiente vel per se, vel per suam virtutem, quæ in Deo est ipsa substantia. Ergo substantia Dei est immediate conjuncta et illapsa rebus omnibus.

Sed hic animadvertere debemus minorem hujus argumenti a Scoto ejusque sequacibus impugnari. Hæc enim celeberrima schola ostendere contra S. Thomam contendit illationem (ex operatione Dei in omnibus rebus ad substantialem ipsius in eis presentiam) non esse legitimam (1).

383. — *Scholium* I. Immensitas non importat formalem extensionem, sed virtutalem tantum, et exindè non pugnat quomodo Dei simplicitate. Deus est plane totus in toto loco quocumque, et totus in qualibet loci parte. Præterea quando Deus res novas creat, *extrinsecam* solummodo relationem novam admittit: unde immensitas cum immutabilitate etiam non pugnat.

(1) Vide S. Th., 1^a p., q. 8, a. 2; Vasquez, q. 8, diss. 28; Scot., in 1^a dist. 37, q. un.; Frassen, l. 1, tr. 1, disp. 3, a. 3, q. 2, etc.

384. — *Scholium* II. Querunt etiam scholastici utrum Deus ratione suæ immensitatis realiter sit in spatiis imaginariis? Generatim respondent Deum revera ipsis presentem non esse, siquidem hæc spatia nihil sunt. Porro Deus non potest dici præsens nihilo. Verum questio hæc est supervacua prorsus, quippe cum de relatione rationis Dei ad creaturas in loco positas eodem fere pacto quaerat ac si immensitas, quæ profecto, prout est in Deo, non pendet a relationibus loci et spatii, esset infinita quædam diffusio.

III. De incomprehensibilitate.

385. — Illud dicitur mente incomprehensibile, seu invisibile comprehensivè, quod videri nequit adæquate, seu quantum visibile est.

Ad comprehensionem duo maxime desiderantur: 1^o ut cognoscatur *id omne* quod in re aliqua est cognoscibile (24, 5^a); 2^o ut res illa cognoscatur *totaliter*, nempe ut tanta sit in cognitione intelligentis perfectio quanta est intelligibilitas in objecto quod cognoscitur. Prima comprehensio dicitur *extensiva*, posterior verò *intensiva*. Itaque non immerito S. Augustinus (Ep. 112) comprehensionem sic definit: *Totum comprehenditur videndo, quod ita videtur ut nihil ejus lateat videntem.*

386. — *Thesis. Deus est incomprehensibilis prorsus ab omni intellectu creato.*

*Probat*ur. Ad cognitionem comprehensivam alicujus rei, requiritur ut res illa tota et totaliter cognoscatur, nempe ut virtus cognitiva omnino adæquet et exhauriat objecti cognoscibilitatem. Atqui Deus, qui est infinitus, infinitam habet intelligibilitatem, ac proinde ut comprehendatur, infinita virtus intellectiva desideratur, quæ creaturæ tum existentis, tum creabilis competere nequit. Ergo impossibile est quòd intellectus creatus Deum comprehendat.

387. — *Scholium.* Deus non propter hoc dicitur incomprehensibilis, quasi *aliquid* ejus sit quod non videtur; cum Deus sit simplex, semper totus videtur, dum videtur. Sed non propterea percipiuntur omnes habitudines quas

habet ad creaturas possibles, neque etiam *perfecte* videtur sicut visibilis est.

388. THESIS II. *Deus est etiam invisibilis naturaliter sive ab oculo corporeo sive ab intellectu creato.*

Nota. Hæc propositio, sicut superior, est de fide. Secunda pars definita fuit in concilio Viennensi contra Beguinas et Beguardos.

Pobatur. Prima pars facillime adstruitur. Facultas corporea evidenter nequit, saltem solis viribus naturæ, spiritualem substantiam percipere (II, 184, etc.): atqui Deus est substantia maxime spiritualis. Ergo...

Probatur secunda pars. Nulla facultas naturaliter fertur nisi in objectum sibi proportionatum: omnis enim cognitio naturalis est secundum naturam cognoscentis, cum recipiatur in cognoscente. Atqui inter Deum quidditative visum et intellectum creatum non datur proportio; modus essendi de Deo certo excedit modum naturæ ejusemque cognoscentis create. Ergo...

Hæc tamen ratio, quam affert S. Thomas, Scoto non videtur efficax qui huic probationi aliam sufficit quæ pluribus etiam theologis non placet. Apodictica ergo demonstratio ad Theologiam fere unice spectat.

389. — *Scholium.* Quando scholastici de Dei incomprehensibilitate loquuntur, querere solent utrum essentia divina possit intuitivè videri quominus videantur simul omnia Dei attributa, et etiam tres personæ? Theologi ferè omnes negant. Scotus tamen, sua distinctione formali ex natura rei innixus, tenet de *absoluta Dei potentia* fieri posse ut videatur essentia non visis personis, aut quibusdam attributis (1). Hanc sententiam propenso animo arripuerunt quidam ontologi ad suum systema sustinendum; sed cui bono? siquidem unice loquitur Scotus de visione beatifica.

§ II. De attributis Dei positivis in specie spectatis.

390. — Hæc divina attributa affirmativa possunt etiam esse duplicis generis; alia enim sunt quiescentia, puta vo-

(1) Vide Vasquez, d. 48, c.

ritas et bonitas; alia verò sunt operativa. De veritate et bonitate, ex quiescentibus, neonem de intellectu, voluntate et Providentia ex operativis, hæc ultima movebitur disputatio, in tot numerosa partita quot sunt recensitæ perfectiones seu præcellentiæ.

De perfectionibus Dei quiescentibus.

I. De veritate.

301. — Hic non agitur de veritate logica (151, 1^a) seu *formaliter* sumpta, de qua tractandum est cum agitur de intellectu divino, sed tantum de veritate *fundamentaliter* spectata, nempe de re ipsa quatenus est intelligibilis (151, 2^a; 310). Verum ita consideratum nihil est aliud quam ipsum ens cum connotatione intellectus (310) — id est, sibi ratione cognoscibilitatis.

302. — THESIS I. *Entitativa Dei veritas est hæc perfectio, qua proprios Deitatis characteres sibi vindicat Deus.*

Prob. Veritas entitativa est ens quatenus cognoscibile (151, 2^a): atqui cognoscibilitas hæc evidenter consistit in characteribus quibus ens illud in suo esse constituitur, et a quocumque alio distinguitur. Ergo Deum habere veritatem entitativam nihil aliud est quam proprios Deitatis characteres sibi vindicare, quibus a falsis diis seceratur: hinc quòd sit totius esse absoluti plenitudo, ens infinitum, etc.

303. — THESIS II. *Veritas divina est fons et mensura totius veritatis quæ præter Deum concipitur.*

Nota. Id jam innunt superius dicta (311, 313).

Prob. Veritas quæ est vel concipi potest præter Deum, est 1^a veritas merè *ideal*is in possibilibus, 2^a veritas *actual*is in rebus existentibus, 3^a veritas *formalis* in intellectibus e. catis. Atqui Deus est fons et mensura hujus triplicis veritatis. Etenim 1^a quoad veritatem ordinis metaphysici et idealis, jam ex dictis (200) liquet ordinem illum mere possibilium a Deo unice pendere. Ordo enim metaphysicus constituitur legibus necessariis essentialium (308),

quæ leges ideo sunt necessariae, quia eas exquirat divina essentia, non quidem libere, sed necessario.

2^o Deum esse fontem et mensuram veritatis *actualis*, non minus evidens est. Res enim actu existentes in tantum sunt veræ in quantum respondent ideis divinis (311) : forma enim artificiatæ est ex conceptione artificis. (Quando agitur de artifice qui in suo actu nullatenus defecere potest, mensura rei factæ est evidenter conceptus effectoris.)

3^o Veritas *formalis*, in intellectibus creatis, est etiam participatio quædam veritatis divinæ. In cognitione enim naturali, de qua hic unice agitur, principium cognoscens et veritas rei cognite ex ipsa divina veritate manant : lumen enim intellectuale est participatio aliqua ac veluti radius divinæ veritatis (II, 250) : inde dicitur lumen participatum et quandoque a Patribus, *verbum seminale* (*ὄρος σπυριτικὸς*), quatenus scilicet est adumbratio et participatio quædam analogæ luminis increati seu Verbi divini. Veritas rerum est etiam veritas eodem modo participata, nempe per creationem communicata. « Sicut enim, ut ait S. Thomas, omnes rationes rerum intelligibiles primò existunt in Deo et ab eo derivantur in alios intellectus, ut actu intelligant : sic etiam derivantur in creaturas, ut subsistant. » Atqui veritas *formalis* in intellectibus creatis oritur ex quadam conjunctione veritatis quæ est in rebus, cum lumine intellectuali.

Ergo omnis veritas quæ est vel concipi potest præter Deum, pendet a Deo, tanquam a suo principio et exemplari ac mensura.

294. — *Schol.* Exemplar divinum inspicitur potest, non modo respectu possibilium, rerum creaturarum et ideologicarum, verum etiam respectu ordinis moralis (1). In ordine enim morali duo considerari possunt, scilicet objectum appetibile seu bonum, et principium subjectivum, quo actiones libere temperantur, id est, iudicium practicum rationis (II, 303, 307). Porro quoad *primum* « unumquodque dicitur bonum similitudine bonitatis divinæ sibi inherente, quæ est formaliter sua bonitas denominans ipsum (2). »

(1) Vide R. P. Liberatore : *Della conosc.*, II p., c. 8.
(2) S. Th., I p., p. 4, a. 4.

Quoad *secundum*, nempe quoad subjectivam regulam actionum, hæc regula consistit in principiis practicis, quæ constituunt legem naturalem. Atqui lex naturalis est quædam participatio legis æternæ, quæ est voluntas Dei creatis et gubernantis creaturas intuitu finis. Itaque eam ratio æterna sit regula directiva Dei operantis, liquet subjectivam seu proximam nostrarum actionum regulam fundari in ipsa ratione divinæ sapientiæ.

« Sicut ratio divinæ sapientiæ, ait S. Thomas, in quantum per eam cuncta sunt creata, rationem habet artis vel exemplaris, vel ideæ, ita ratio divinæ sapientiæ moventis omnia ad debitum finem, obtinet rationem legis. » (I, II, q. 3, a. 1.)

II. De bonitate.

305. — *Thesis I. In Deo est summa et omnimoda bonitas.*

Prob. Deus ex intrinseca ratione suæ essentiæ est plenitudo actu existens totius perfectionis (II, 345) ; atqui bonitas est perfectio. Ergo Deus est plenitudo totius bonitatis, seu est bonum, non intra aliquem ordinem aut bonitate sibi adveniente, sed absolute tota bonitatis ratione, seu est ipsa tota bonitas.

306. — *Schol. I.* Discrimen inter bonum absolutum et bonum participatum eodem recidit ac diversitas inter *esse* absolutum et esse participatum.

307. — *Schol. II.* Bonitas divina est causa tum exemplaris, tum finalis, tum efficiens, omnis boni creati ; non quidem causa *formalis*, quia creaturæ habent internam bonitatem sibi propriam, licet à Deo effusam.

308. — *Thesis II. In Deo etiam est illibata bonitas moralis, seu sanctitas.*

Prob. « Aliquid potest dici sanctum tripliciter : 1^o ratione munditiæ ; *ἀγιος* enim idem est ac sine terra, unde communiter sanctitas dicitur, *ab omni labe intemerata puritas* ; 2^o accipitur pro stabili firmitate in bono ; dicitur enim sanctum, quasi lege sanctum ; 3^o sumitur pro summa conjunctione et applicatione ad res divinas. Atqui hæc omnia eximie in Deo reperiuntur : est enim 1^o purissimum

actus immaterialis et spiritus mundissimus; 2^o est firmis-
simus et immutabilis in amore boni....; 3^o est sibi con-
junctissimus, cum sit sua regula indefectibiliter operans
in ordine ad suam gloriam (1). » Ergo.

399. — *Schol. I.* Sanctitas in creaturis est *negative*
immunitas ab inordinatione a lege æterna; *positive*, con-
formatio actuum et habituum ad ipsam morum regulam,
quæ conformatio ultimo perficitur amore Dei et conjunc-
tione cum Deo, ultimo fine : lex igitur amoris est maxi-
mum mandatum.

400. — *Schol. II.* Fundamentum omnis ordinis, ac
proinde ordinis moralis, est ipsa essentia divina. Ordo
enim moralis stat in rectitudine operationum entium libe-
rorum intuitu finis, præcipue ultimi (II, 393).

De attributis Dei operativis.

I. De intellectu.

401. — Intellectus active et operative sumptus signi-
ficat hanc potentiam vitaliter elicitivam actualis intellec-
tionis. Hoc intercedit discrimen inter intellectum et intel-
lectionem, quod ille sit *actus primus* intelligendi, quia est
prima ratio cur substantia spiritualis sit capax intelli-
gendi; intellectio autem est *actus secundus*, seu ipsamet
operatio, quia emanat ab actu primo.

Sed in Deo intellectus et ipsa intellectio sunt omnino
unum et idem, ideoque revera non datur actus primus et
actus secundus, quippe cum Deus sit actus purissimus.
Quantobrem in hac disputatione agendum est antea de
scientia Dei.

Ex infinita essentiæ divinæ perfectione et summa ejus
simplicitate constat Deum infinita præditum esse scientia,
et hanc scientiam non esse intrinsece multiplicem aut
mutabilem : unico namque et invariabili actu cognitionis,
Deus cuncta percipit. Scientia Dei *in se* est ipsa divina
essentia sub ratione infiniti actus intellectualis. Tota ergo
varietas scientiæ divinæ in diversas ejus terminationes
refundenda est, seu ex diversis terminis qui ei subsunt,

(1) *Contens.*, I, 1, d. 3, c. II, q. 2.

venit. Hæc autem distinctio est nobis necessaria (II, 364,
365).

402. — *De objecto scientiæ divinæ.* In cognitione in-
creata, sicut in creata, duplex distingui potest objectum,
materiale videlicet et *formale* (142), idque vel *primarium*
vel *secundarium*. Primarium dicitur quod cognoscitur
præcisè ratione sui; secundarium autem quod percipitur
tantum ratione connexionis quam habet cum alio.

Distingui etiam solet, ut alibi diximus, objectum for-
male *motivum*, seu ipsa ratio movens, a *terminativo*, seu
formali quod vel materiali.

403. — *THESIS I. Objectum primarium terminativum
scientiæ Dei est essentia divina.*

Prob. Objectum primarium debet esse 1^o per se intelli-
gibile, 2^o prima ratio cur cognoscatur quidquid cognoscitur.
Atqui essentia divina 1^o est per se intelligibilis, 2^o est
etiam prima ratio cur intellectus cognoscat : per se, non
per aliud cognoscitur, et eo ipso fit intellectio, quod intel-
lectus est in actu ipsum objectum intelligibile, seu ipsa
essentia. Ergo...

404. — *Coroll.* Ergo cætera omnia, quæ Deus cognos-
cit, non nisi objectum ejus secundarium esse possunt.

405. — *THESIS II. Essentia divina est objectum formale
motivum, reliqua autem vera non nisi objecta materialia
seu terminativa esse possunt divinæ scientiæ.*

Prob. Objectum formale motivum cognitionis illud est
quod cognitionem determinat, eique dat perfectionem prop-
riam : vocatur etiam *species intelligibilis*; materiale
verò id est quod scientiæ tantum subest, quominus scienti-
am scientiæque perfectionem determinet. Atqui 1^o essen-
tia divina est propria ratio et perfectio scientiæ divinæ :
scientia enim divina est realiter ipsa divina substantia et
essentia, quæ alias est exemplar infulum et actualis re-
presentatio omnis veri : est itaque species intelligibilis
intellectus divini.

2^o Reliqua vera cognitionem divinam nec determinare
nec perficere possunt, secus in cognoscendo Deus non esset
perfectè independens, sibi quæ sufficiens; cognosceret in

alio et ex alio; unice igitur scientiæ Dei subsunt, quin scientiam hanc aut determinare aut specificare possint. Ergo.

406. — *THESIS III. Juxta meliorem sententiam, Deus cognoscit objecta secundaria ut formaliter in seipsis sunt vel esse possunt.*

Nota I. Hic agitur tantum de objecto *terminativo*, nullo modo de formalis motivo. Hæc igitur objecta non habentur ut causa determinans et perficiens scientiam, sed ut mera *terminatio*.

Nota II. Quidam philosophi et theologi censent Deum hæc objecta in seipso, non autem in illis ipsis cognoscere; alii verò tenent Deum hæc objecta cognoscere non solum in seipso sed etiam in illis ipsis: Deus itaque cognoscit res illas secundum esse *eminentiale* quod habent in Deo, et simul secundum esse *entitativum* quod habent in seipsis, vel haberent si producerentur.

Prob. Deus cognoscit res perfectiori modo quo possunt cognosci, ac proinde secundum omnem modum quo sunt cognoscibiles; atqui res sunt cognoscibiles non modo secundum quod sunt eminenter in Deo, verum etiam secundum quod habent in seipsis: illud enim esse eminens est ipsa divina essentia, non autem illud esse creatum quod habent in seipsis. Ergo Deus cognoscere debet objecta secundaria etiam in propria eorum natura.

407. — *Coroll.* Ergo ab æterno Deus cognoscit illud esse *actuale*.

408. — *Schol.* Id nullo pacto immutabilitati et independentiæ Dei officit: etenim cum objectum illud sit mere terminativum, non autem motivum, non potest ipsam cognitionem determinare: inde illius mutabilitas non implicat mutabilitatem cognitionis divini; scientiæ Dei subest verum prout reapse est (1).

409. — *Divisio scientiæ.* Jam verò objectum scientiæ divini aliud est *primarium*, nempe ipsa essentia divina, et aliud *secundarium*, hoc est, quidquid a Deo distinctum

(1) Vide si lubet, Frassen., tract. II, a. 1, q. 3, ad difficultates solvendas.

est. Sed objectum sive *primarium* sive *secundarium* varie considerari potest; ex hac multiplici consideratione exurgunt variae divisiones scientiæ Dei.

Itaque scientia solitò dividitur: 1^o in *speculativam* et *practicam*, prout ejus objectum a Deo non est operabile, vel secus, 2^o in *liberam* et *necessariam*, prout ejus objectum a Dei liberis decretis pendet, vel non; 3^o in scientiam *approbationis* vel *improbationis*, prout versatur circa bonum vel malum; denique 4^o in scientiam *simplicis intelligentiæ*, *visionis* et *mediam*; prima est *possibilem* cognitio, secunda respicit *existentias*, tertia ad *future conditionata* spectat. Hanc partitionem vulgatissimam sequemur in hac expositione.

410. — *I. De scientia simplicis intelligentiæ.* Scientia quæ possibilis seu rerum essentias comprehendit, dicitur scientia simplicis intelligentiæ, ad discrimen scientiæ visionis, quæ actuales existentias intuetur: itaque dici posset etiam scientia abstractiva. Hæc scientia est *necessaria*, siquidem 1^o veritas essentiarum in statu possibilitatis est absolute necessaria, atque 2^o divinus intellectus necessario comprehendit omnem veritatem. Dicitur etiam *practica*, quatenus est scientia operabilium sub formalis ratione operabilium. Non est tamen causa rerum in *actu secundo*, secus omnia possibilis essent actu producta: hæc enim scientia non est libera.

411. — *THESIS I. Objectum adequatum scientiæ simplicis intelligentiæ sunt omnia possibilis, secundum formalem possibilitatis objective rationem.*

Prob. 1^a pars. Quòd objectum adequatum scientiæ simplicis intelligentiæ sint omnia possibilis, id liquet ex ipsa descriptione hujus scientiæ.

Prob. 2^a pars. Ratio formalis alicujus cognitionis generatim inspecta (142), est propria hujus cognitionis perfectio, qua talis constituitur atque a cognitionibus specie diversis distinguitur; forma enim est id quod dat perfectionem essentialem certi ejusdem ordinis. Atqui scientia simplicis intelligentiæ a scientia visionis distinguitur quatenus existentias ipsas non respicit, nimirum ad realem rerum existentiam non terminatur, sed ad res ut sunt

tantum possibles. Ergo possible intuetu sub ratione formali possibilitatis objective, id est, in sola possibilitate contemplanda sistit.

412. — *Schol.* Deus omnia comprehendit, non multis distinctis actibus, sed uno substantiali actu, quo comprehendit seipsum: inde solum ex terminatione formaliter spectatâ multiplicem in Deo scientiam distinguimus (II, 409).

413. — *THESIS II.* *Deus res possibles distincte cognoscit secundum proprias naturas, omnesque possibles perfectiones, relationes, fines, actiones, limites, etc.*

Prob. Deus perfecte comprehendit suam virtutem producendi infinitam; atqui virtute divina res producuntur aut producerentur in tali ordine, et cum talibus perfectionibus et imperfectionibus, fine et limitibus, etc. Ergo nisi in Deo sit aliqua ignorantia eorum ad quæ sua potentia se extendere potest, debet ipse res possibles distinctissime cognoscere.

414. — *Corol. I.* Ergo Deus cognoscit etiam mala.

415. — *Corol. II.* Cum Dei potentia et « sapientia non sit numerus » (Ps. cxlvi), fit ut multitudo possibilem quæ Deus cognoscit, dici possit infinita actu. Huic tamen sententia reluctantur aliqui theologi.

416. *Schol.* Ex dictis (209) constat creaturas possibles videri in essentia divina, tamquam in medio cognito, in quo distinctum suum radicaliter habent esse intelligibile.

417. — *II. De scientia visionis.* Scientia visionis, quæ etiam *intuitiva* dici potest, ea est qua Deus cognoscit et determinate exprimit res ut existentes pro aliqua temporis differentia. Objectum hujus scientiæ sunt, non modo res creatæ, sed etiam essentia, attributa et personæ divinæ, utpote actu existentes; itaque hæc scientia, quatenus terminatur ad Deum et ad ea que in Deo necessariò existunt, est simpliciter *necessaria*, quia nostro concipiendi modo, antecedit quolibet divinæ libertatis exercitium: in quantum verò ad creaturas terminatur, est *libera absolute*, eo quòd, secundum nostrum concipiendi modum, subsequatur exercitium divinæ libertatis. Dici tamen solet *necessaria* ex hypothesi, nam Deus non potest creaturam

semel predictam non cognoscere. Per scientiam ergo visionis Deus omnia intuetur quæ ipso operante vel se solo vel etiam per causas secundas, independentem a *liberis actibus* voluntatis creatæ, in qualibet temporis differentia realiter existunt. Itaque circa præterita, præsentia et futura *absoluta* versatur hæc scientia.

418. — *THESIS I.* *Deus seipsum adæquate comprehendit.*

Prob. Res cognitione comprehenditur, quando cognoscitur quantum est cognoscibilis, ita ut vis cognitiva adæquet cognoscibilitatem hujus rei cognita (II, 385); atqui divinus intellectus Deum cognoscit quantum cognoscibilis est: virtus enim Dei in cognoscendo est infinita, sicut ejus intelligibilitas est infinita. Ergo Deus seipsum perfecte comprehendit.

419. — *THESIS II.* *Deus cognoscit omnia quæ aliquando existentiam sortiuntur.*

Prob. I. Cum infinita et illimitata esse debeat divina cognitio, Deus certò cognoscit quicquid est cognoscibile; atqui futura contingentia sunt vere scibilia, quia vere sunt futura: illorum enim esse præsens respectu temporis cui coexistunt, verum est, ac proinde tempore antecedente verum est quòd illud sit futurum. Ergo Deus certò novit omnia quæ aliquando existentiam accipiunt.

II. Si Deus futura contingentia non cognosceret quamdiu sunt futura, ea saltem nosset dum determinato suo tempore existentiam accipiunt: nullum verum latet Deum. Atqui ab æterno Deus cognoscit quicquid cognoscit: scientia Dei est immutabilis et incrementum accipere nequit; immò proprie loquendo, nihil Deo futurum est vel præteritum. Ergo.

420. — *III. De scientia media.* Scientia hæc, de qua celebris controversia existit coram Clemente VIII et Paulo V, in congregatione de Auxiliis inter Thomam de Lemos, Dominicanum, et Gregorium de Valentia, etc., societatis Jesu, ea est quæ respicit *futura conditionata*. Per hanc ergo scientiam intelligitur cognitio certa et infallibilis, quam Deus habet de rebus conditionatè futuris.

Dicitur scientia *media*, quia medio modo se habet inter scientiam simplicis intelligentiæ et scientiam visionis; illius enim objectum, nempe futura conditionata, veluti medium tenent inter mere possible et absolute futura.

421. — THESIS I. *Hæc scientia media admitti potest.*

Nota I. Thomistæ et Scotistæ plerique uno consensu docent scientiam Dei adæquate dividi in scientiam visionis et scientiam simplicis intelligentiæ. Sed hodie sententia opposita est longe communior. Tamen celeberrimæ illæ controversiæ inter Dominicanos et Patres societatis Jesu respiciunt potius modum quo Deus futura conditionata cognoscit, quam ipsam divisionem scientiæ.

Nota II. Molinistæ, Congruistæ et Augustiniani, qui scientiam mediam propugnant, alii tenent eam mediare inter scientiam visionis et scientiam simplicis intelligentiæ, alii, inter scientiam liberam et scientiam necessariam.

Prob. Thesis proposita. Ex perspecto fundamento divisionis scientiæ Dei, constat illam scientiam esse ab aliis distinctam, cujus objectum est proprium et distinctum; atqui scientia media habet objectum proprium et distinctum. Ergo.

Prob. minorem. Quæ actu nunquam existunt, et tamen in signo priori ad *actualem* existentiam spectant, non sunt sive *mere possible*, siquidem eorum cognitio ad existentiam realem terminatur, neque *reales existentia*: deficiente enim conditione nunquam existent. Atqui ejusmodi futura conditionata sunt objectum scientiæ mediæ. Ergo secundum objectorum diversitatem, præter scientiam visionis et scientiam simplicis intelligentiæ, merito distinguatur scientia futurorum sub conditione.

422. — *Schol.* Hæc scientia media cum scientia *visionis* convenit, quatenus ad existentiam contingentem refertur, et cum scientia *simplicis intelligentiæ*, quia objectum non intuetur ut absolute actu existens. Sed discrepat a prima, quatenus non respicit existentiam futuram tempore aliquo *actualem* et absolutam, et a secunda quia non attingit objectum sub præcisa ratione possibilitatis.

423. THESIS II. *Deus certò cognoscit contingentia conditionate libera, nempe liberos actus, qui, quibusdam adjunctis positis, futuri essent.*

Nota I. Davidi Deum interroganti, an, si mansisset Cælia, Saül venturus esset ad eam urbem obsidendam? respondit Dominus: *Descendet.* Iterum consulente Davide: *an tradent me viri Cælarum...* in manus Saülis? respondit Dominus: *tradent.* De facto David non remansit Cælia, attamen Deus *absolute* respondit, ac proinde certò et infallibiliter rem sub conditione futuram prænuñciavit.

Theologi alios afferunt textus, præsertim ex *Sap.*, c. iv, 21; III *Reg.*, xi, 2; *Matth.*, xi, 21; *Ezech.*, iii, 6.

Nota II. Licet thesis videatur *theologicæ* certa, quidam tamen theologi Deo denegant hanc de conditionate futuris certam notitiam, atque docent hanc cognitionem esse conjecturalem tantum.

Prob. Quidquid est verum seu scibile, a Deo cognoscitur: atqui futura conditionata sunt determinatè vera, ac proinde scibilia. Ergo.

Major constat; itaque probatur *minor*.

Propositio conditionata, v. g.: *Cælia David tradent, si remanet*, non est minus vera ac propositio absoluta *Cælia David tradent*, imo est prius vera; sola enim conditione differt una ab altera; porro posita conditione, propositio conditionata evadit absoluta. Ergo non verificata conditione, est etiam determinatè vera.

Præterea dum sequentes propositiones contradictoriæ nequeunt esse simul falsæ: *Si Cælia remanet David, tradetur Saül: Si Cælia remanet David, non tradetur Saül*: David non simul tradetur et non tradetur. Ergo una debet esse determinatè vera, ac proinde a Deo cognosci.

424. — *De medio scientiæ divinæ.* Jam antea diximus principium formale motivum divinæ cognitionis, nullum esse aliud quam divina essentia (II, 403, 406). At conceptus medi *in quo* est distinctus a conceptu principii formalis. *Medium* enim cognitionis est id, quo cognito, devenimus in aliorum cognitionem (II, 222); medi ergo cognitio est ratio aut causa cur aliquid aliud cognoscatur; v. g., principia sunt media cognoscendi conclusiones.

Ut aliquid rationem medi ducentis in alterius cognitionem habere possit, duo maxime requiruntur: 1° ut antecedit, saltem prioritate naturæ et causalitatis, rem quam manifestat; 2° ut relationem necessariam aut saltem infallibilem connexionem habeat cum re manifestata. Deficientibus his conditionibus, unum ex alio colligere non liceret. Hæ conditiones suam secum afferunt probationem.

Jam verò ex antea enucleatis liquet: 1° Deum suam essentiam immediate, id est, sine medio cognoscere; nihil enim potest concipi divina essentia antèrius, in quo hæc cognosci possit; itaque essentia a Deo cognoscitur, ut objectum simul materiale et formale;

2° Deum res alias a se in seipso cognoscere, non autem in alio: essentia est unica species intelligibilis qua Deus omnia cognoscit (II, 405), etiam existentias secundum esse quod habent in seipsis (II, 405). Deus, qui est exemplar et causa omnium rerum, est sibi ratio cognoscendi omnia alia, quæ habentur ut objectum pure materiale. In hisce affirmandis omnes scholæ conveniunt.

425. — Ast dum spectatim agitur de modo et ordine quo res a Deo distincte, cognitioni ejus exhibentur, ab invicem dissentire theologi coperunt. Nulla tamen viget controversia circa modum quo Deus cognoscit *essentias omnes possibles*: manifestum est enim Deum eas intelligere in sua essentia. Futura necessaria nullam ferè difficultatem quoque præferunt: Nihil vctat quin dicantur a Deo perspicit tum in causis, tum in decreto quo decernit vel permittit ut eveniant aliquando.

Celeberrime igitur illæ controversiæ inter Thomistas et alios theologos vigerunt præsertim quoad futura libera sive absoluta sive conditionata. In hisce disputationibus agitur præsertim de concursu divinæ præsentis cum libero voluntatis nostræ motu.

Thomistæ generatim ex theoria de necessitate prædeterminationis physicæ (412), colligunt Deum prænoscere omnes actiones liberas futuras in decretis suis æternis, physicè prædeterminantibus ad has vel illas actiones. At, semel negato fundamento hujus sententiæ, ruit doctrina super illo extracta, ideoque ex antea explicatis (412, 413),

jam constat Deum actiones liberas non cognoscere in suis decretis physicè prædeterminantibus.

Theologi, qui hæc cognitionem in Deo tanquam causa prædeterminante non admittunt, in diversæ etiam distrahuntur sententiis, quas singillatim referre hic non vacat.

Sententiæ quæ hodie communior longe est, tuebimur ope methodi eliminationis. Sed ut clarior fiat disputatio, in antecessum nonnulla sunt prænotanda:

1° Cum quæritur utrum Deus cognoscat futura libera ante vel post decretum, manifestum est particulas *ante* et *post* non significare anterioritatem vel posterioritatem realem, sed rationis tantum cum relatione dependentiæ, vel non, a decreto: istæ rationes anterioritatis vel posterioritatis solitò dicuntur *signa vel instantia rationis*.

2° Per decretum divinum intelligitur illa Dei volitio qua decernit futuram rem existentiam: est ergo voluntas effectrix.

426. — THESIS I. *Actus liberi a scientia visionis tanquam causa pendere nequeunt.*

Prob. Omnis scientia objectivam veritatem supponit cujus est scientia: id evidens est 1° in scientia *speculativa*, quæ non facit intelligibilia; sed per eam fit ut quæ in se sunt intelligibilia, sint actu intellecta.

2° Scientia verò *practica*, quæ est causa rerum, si spectetur præcisione facta a voluntate effectricæ, seu quatenus formaliter est scientia, supponit etiam suum formalem terminum, nempe objecta in quantum sunt operabilia; in *actu primo* scientia practica supponit rationem exemplarem; existentia autem in actu est effectus voluntatis efficientis, cui præluet cognitio existentie operabilis et efficiendæ: existentia in actu pendet a scientia que sit practica in *actu secundo*. Atqui scientia, sive speculativa, sive practica quæ sit causa rerum, ratione anterior est scientia visionis. Ergo impossibile est ut actus liberi a scientia visionis tanquam a causa pendeant.

427. — THESIS II. *Propria ratio cur Deus actus liberos prævideat, esse nequit in divinis decretis.*

Prob. Decretis divinis, creatura constituitur in actu primo; atqui si in actu primo causæ liberæ spectato eum

omnibus suis elementis intrinsicis, ipse actus secundus esset infallibiliter cognoscibilis, voluntas in actu primo non posset se determinare ad utrumlibet : in adjunctis enim actus primi esset ratio determinationis infallibilis ad unum; itaque determinatio ab hisce adjunctis, non ab indifferenti voluntatis electione, proficisceretur. Ergo Deus non prævidet actus liberos in suis decretis.

428. — THESIS III. *Deus futura libera non prænoicit in prædefinitionibus absolute antecedentibus præscientiam liberi consensûs.*

Nota. Nominè *prædefinitionis* intelligunt theologi æternam et absolutam Dei voluntatem, ut creatura in tempore ad talem actum liberè se determinet.

Prob. 1. Deum actus malos prædefinire non posse liquet : Deus enim prohibet *ipsum actum physicum*, licet pravitas moralis, ab illo actu physico inseparabilis, sit causa prohibitionis; itaque prædefinendo vellet simul et nollet eundem actum physicum, imò etiam positivè vellet peccatum. Ergo.

2. Actus boni etiam prædefiniri nequeunt quin tollatur liberum arbitrium : prædefinitio necessariò includit decretum conferendi auxilium cujus natura est ut actus prædefinitus infallibiliter consequatur; hæc enim prædefinitio est voluntas Dei absoluta (ex hypothesi antecedens scientiam tum visionis tum mediam) ut creatura talem actum eliciat. Atqui hæc auxilia, liberum arbitrium determinantia, per se tollerent indifferentem voluntatis electionem. Ergo prædefinitio illa antecedens libertatem arbitrii perimeret.

429. — THESIS IV. *Deus futura libera prænoscere nequit in supercomprehensione libera voluntatis.*

Nota. Hæc est sententia Molinæ, qui *supercomprehensionis* nomine intelligit hæc perfectissimam de voluntate creata cognitionem, qua Deus penetrat quid unaquaque voluntas creata, sub quocumque statu et conditione ponatur, de facto volet, et in quam partem se inclinabit.

Prob. Ut in supercomprehensione libera voluntatis infallibiliter cognoscantur actus liberi, requiritur ut hujus-

modi actus in voluntate habeant esse certum et determinatum; atqui voluntas libera potest velle et non velle, ad contrarias se ferre, et exinde in actu primo non magis continet hunc actum quam oppositum; ideoque impossibile est ut quilibet actus liber esse determinatum habeat antequam eliciatur. Ergo ex sola causa cognitione, nulla haberi potest certa et infallibilis scientia actus liberi.

430. — THESIS V. *Actus liberos Deus ab æterno cognoscit in ipsamet veritate existentia eorumdem, id est sine ullo medio ex parte objecti.*

Prob. I. Ex dictis constat Deum non cognoscere actus liberos in aliqua causa antecedenti, seu in aliquo medio. Ergo remanet ut cognoscat eos sine medio.

Prob. II. Deus cognoscit actum liberum positum, in ipsa actus veritate (II, 406) : « Deus cognoscit omnia contingentia, non solum prout sunt in suis causis, sed etiam prout unumquodque eorum est actu in seipso (1). »

Atqui cognitio Dei non incipit esse in tempore, sed eodem modo semper se habet; nam 1^o cognitio Dei est æterna et immutabilis; 2^o si hæc cognitio inciperet in tempore, Deus his cognosceret futura : uno quidem modo secundum præscientiam futurorum, altero, secundum præsentem scientiam. Ergo Deus cognoscit actum futurum, antequam sit, in ipsa veritate existentie hujusce actus.

431. — THESIS VI. *Futura conditionata etiam a Deo cognoscuntur secundum esse ipsorum proprium, quod haberent si conditiones ponerentur, nempe in seipsis seu secundum ipsorum objectivam veritatem.*

Nota. 1^o Agitur de conditionatis propriè dictis, seu connexis cum ipso actu, non quidem nexu necessario, secus non essent simplices conditiones, sed causæ necessarie.

2. Dum dicimus Deum cognoscere hæc futura in seipsis, id certò non intelligitur in hoc sensu quod sint Deo cognoscendi ratio. (II, 424, 2^o)

Prob. I. Hæc futura nequeunt cognosci infallibiliter in adjunctis realiter existentibus, seu in conditionibus actus primi : actus enim primus non habet connexionem infal-

(1) S. Thomas, de Veritate.

libilem cum actu secundo. Ergo cum infallibiliter cognosci nequeant in quovis medio, remanet ut cognoscantur in seipsis. Est igitur cognitio actus *qui existeret*.

Prob. II. Propositio sequens: *Libera voluntas si constitueretur sub determinatis conditionibus, hunc actum, et non alium eliceret*, eodem pacto est objective vera atque hæc altera: *Voluntas libera, constituta sub determinatis conditionibus, hunc actum et non alium elicit*. Etenim quoad hæc secundam, ab æterno objective verum fuit quod si voluntas in hisce adjunctis constitueretur, hunc actum eliceret; at si deficerent adjuncta, propositio etiam remaneret objective vera: propositio non potest esse nisi vera aut falsa. Itaque eadmodum est ratio pro utraque. Atqui Deus cognoscit actus liberos, qui reapse eliciuntur, etiam in ipsorum objectiva veritate. Ergo remanet ut futura libera conditionata etiam cognoscat in seipsis, nempe sine medio et in ipsorum objectiva veritate.

432. — *Schol.* Nihil repugnat quod objectum nunquam actu futurum, sit tamen Dei conspectui actu præsens: in se enim et objective est quoddam verum, licet actu non sit aliquid physicum: Est certò plus quiddam quam possibile internum: Conditiones quæ sunt in ordine reali et physico connexionem quandam habent cum illo: eatenus sunt conditiones quatenus relationem habent ad illum actum futurum.

II. De voluntate.

433. — *Quid et quotuplex sit voluntas divina?*

Intellectum divinum ordine naturæ sequitur divina voluntas, quæ non potest concipi ut potentia, quæ diversos eliceret actus; sed est actus purissimus et unicus, seu ipsa divina essentia sub ratione volitionis spectata.

Sed hæc infinita volitio eminenter æquivalet multis actibus, seu ad multa objecta diversa terminari potest, in quæ voluntas creata nominis per diversos actus ferri quit: quamobrem hæc voluntas, licet in se una et simplicissima, potest tamen, ratione harum terminationum, variò partiri: imò distinctiones istæ virtuales necessario sunt admittendæ (II, 365).

Solet itaque dividi 1^o in voluntatem *antecedentem*, 2^o

primam, et voluntatem *consequentem*, seu *secundam*, prout ratione concipitur ut prior vel posterior prævisione actuum liberorum creature; ideoque præ aliquo termino seu ex parte volitorum dicitur antecedere vel consequi; nam ex parte ipsius divinæ voluntatis nihil est prius vel posterius.

2^o Voluntas partitur etiam in voluntatem *beneplaciti* et in voluntatem *signi*. Prior est voluntas realiter existens in Deo, quæ prosequitur aliquid bonum vel malum avenatur. Est ergo omnis voluntas Dei propriè dicta tam antecedens quam consequens. Posterior verò est signum extrinsecum quo voluntas divina manifestatur; est igitur effectus aliquis creatus significans voluntatem Dei, « eodem modo quo testamentum dicitur ultima voluntas hominis testatoris (1). » Quinque sunt signa voluntatis divinæ: præceptum, consilium, prohibitio, permissio, operatio.

3^o Voluntas beneplaciti alia est *absoluta*, alia *conditionata*; priore, Deus vult objectum sine suppositione ullius conditionis; altera versatur circa existentiam vel non existentiam objecti ex suppositione alicujus conditionis.

4^o Discernitur etiam voluntas *necessaria* et voluntas *libera*: dicitur necessaria quando fertur in Deum ipsum, summum bonum, atque in omne bonum aliud possibile, in se spectatum: hæc in Deo non potest abesse, Libera autem appellatur voluntas divina, quatenus ad entia creata attinet, quæ Deus, etiam salva sua infinita perfectione, non velle posset.

5^o Partitur quoque in *efficacem*, seu absolutè *efficientem*, et *inefficacem*; prior semper impletur et effectum sortitur; dupliciter spectari potest, vel citra prævisionem hypothesis verificate, vel posita hac prævisione: inde est vel *absoluta antecedens*, vel *absoluta consequens*. Altera autem effectum, quem Deus ultimò intendit, ex defectu conditionis statuat ob hominis contumaciam, non nanciscitur. Voluntas inefficax non arguit defectum potentie in Deo, sed abusum libertatis in homine.

6^o Denique voluntas divina etiam distinguitur in *juben-*

(1) Frassen, de Deo, tract. 2, d. 2, a. 1, q. 1.

tem, qua Deus vult bonum, et *permittentem*, qua malum permittit.

Prima est voluntas legislatoris, quæ spectata ex parte seu quatenus jubet observationem legis, non semper impletur; est enim voluntas a nobis faciendâ. Sed quatenus consideratur ut præcipiens simul et legem præmissis ac penis sciens, est semper invicta.

Affectiones voluntatis quæ nullam sibi implicitam continent imperfectionem, proprie in Deo sunt; secus non nisi metaphoricè ipsi tribuuntur, uti passiones: timor, ira, tristitia, etc.

434. — *De objecto divinæ voluntatis.* Objectum *primarium* divinæ voluntatis est divina essentia; objectum verò *secundarium* sunt creaturæ. Aliàs ea quæ dicta sunt de objecto tam primario quam secundario, tam materiali quam formali divini intellectûs, ratione simili de divina voluntate affirmari possunt.

435. — *THESIS I. Deus seipsum diligit primariò, comprehendens et necessariò.*

Prob. 1^a pars. Ille seipsum diligit *primariò*, qui est sibi objectum adæquatum volitionis: facultas enim per se primò tendit in suum objectum adæquatum. Atqui Deus est sibi ipsi objectum adæquatum volitionis: cum voluntas sit infinita, ejus objectum adæquatum debet esse omnimode infinitum. Ergò, cum præter Deum nihil sit omnimode infinitum, licet Deum, sub ratione boni infinite amabilis, esse objectum adæquatum seu primariò intentum suæ voluntatis.

Prob. II^a pars. Ille amor est *comprehensivus*, qui ita perfectus est in ratione amoris, ac ejus objectum, in ratione amabilis atqui ejusmodi est amor Dei et erga seipsum, ut per se patet. Ergò.

Prob. III^a pars. Si Deus non diligeret se *necessariò*, posset se diligere vel non diligere; atqui in hac hypothesis, Deus esset intrinsece mutabilis: eodem enim manente termino voluntatis, voluntas revera mutari posset. Ergò.

436. — *Sch.* Deus *necessariò* etiam diligit creaturas *possibiles*, amore *simplicis complacentiæ* (quo nimirum aliquid amat ut possibile, quin applicet medium ad illud

efficiendum). Hæc enim *possibilia* cognitione comprehensiva necessario Deus attingit, inde et amore comprehendit.

437. — *THESIS II. Deus libere amat creaturas tam actuales quam futuras.*

Prob. I. Deus libere operatur ad extra: Ergò libere vult et diligit creaturas, utpotè contingentes.

Prob. II. Voluntas omnis finem ultimum duntaxat et media necessaria ad ipsum necessariò appetit; atqui creaturarum bonitas evidenter haberi nequit sive ut finis ultimus voluntatis divinæ, sive ut medium necessarium ad hunc finem. Ergò.

438. — *Sch. I.* Voluntas divina non est potentia, sed actus; ideoque libertas divina nequit concipi ut indifferentia potentia ad actum, sed ut indifferentia actûs ad objectum: « *Subjectum* hujus libertatis est unicus, simplex et immutabilis actus divinæ voluntatis; *terminus* est aliquid extra Deum; *exercitium* est activus respectus, habitudo vel relatio illius ad hunc (1). »

439. — *Sch. II.* Circa res finitas, voluntas divina gaudet libertate *contradictionis* et *specificationis*, non verò libertate *contrarietatis*: voluntas enim divina nequit esse indifferens ad bonum vel malum morale.

440. — *THESIS III. Voluntas divina in malum morale tam ut finem quam ut medium ferri nequit.*

Prob. Deus appetendo malum morale, quocumque modo spectatum, deflecteret directè vel indirectè de recta ordinatione ad summum bonum: malum enim morale est aversio a summo bono. Ergò cum summum bonum non sit nisi ipse Deus, patet Deum intendere non posse malum morale, sive ut finem, sive ut medium.

441. — *THESIS IV. Deus potest malum physicum intendere, non quidem per se, sed per accidens.*

Prob. 1^a pars. Deus non potest malum physicum *per se* intendere, secus odio haberet suam creaturam; conquireret enim ac delectaretur in malo creaturæ. Porro Deus,

(1) Theolog. Wircch., de Deo uno, disp. IV, art. 2.

qui est causa creaturarum, vult se diligit illarum esse: creaturæ ideo sunt quia diliguntur a Deo. Ergo impossibile est ut Deus malum physicum directe et per se intendat.

Prob. II^a pars. Aliquando bonum physicum, quod auferat, potest superari per majus bonum, quod inde enascitur: mala enim physica aliquando nobilissimas virtutes promovent, voluntatem antea deviam, rectam faciunt, etc. Atqui aliquid malum hoc pacto velle, idem est ac velle bonum, quod per malum obtinetur. Ergo etiam ejusmodi volitio a recta ratione nullatenus sit dissona, manifestum est Deum posse indirecte, seu per accidens, intendere malum physicum.

442. — *De divinæ voluntatis dotibus ac præcellentis.* Voluntas in nobis perficitur per diversos habitus qui virtutes morales appellantur. Licet autem in Deo non sint accidentia, ac proinde habitus, tamen necesse est ut in ipso perfectiones illæ morales, remotis omnibus imperfectionibus, reperiantur. Hæ perfectiones *attributa moralia* solitò appellantur; sunt in Deo ipsa divina essentia.

Deo tamen tribui nequeunt formaliter omnes virtutes morales, sed eæ duntaxat quæ ad partem sensitivam non spectant.

Præcipua attributa moralia sunt 1^o *sanctitas* cum illis virtutibus, quæ sanctitatis sunt appendices, fœtus et corona, 2^o *miseriçordia*, 3^o *justitia*.

443. — I. Sanctitatem esse in Deo jam antea probavimus (II, 398).

Divina sanctitas a sanctitate creata differt: 1^o quatenus est *essentialis*, dum sanctitas creata est adventitia qualitas, accessorius actus et effectus; 2^o sanctitas Dei est *substantialis*, sicut omnes aliæ præcellentis, dum creata sanctitas est accidentalis; 3^o sanctitas est *infinita* in Deo, limitata in creaturis; 4^o sanctitas divina est omnino *indefectibilis* et immutabilis, dum sanctitas creata potest crescere et minui.

444. — II. Misericordia, juxta etymon, idem significat quod *miserum cor*. Misericordia in nobis duo importat: 1^o actum seu affectum voluntatis quo quis exoptat et intendit sublevare miseriam alienam, 2^o motum quemdam

appetitum sensitivi, quo quis de alterius malo tristatur, et illi condolet.

In Deo misericordiam non esse, quantum ad hunc motum, in promptu est; sed in ipso est quoad affectum. Itaque misericordia est in Deo, non modo quoad *effectum* et sublevationem miseris, verum etiam quantum ad *affectum*, quo divina voluntas movetur ad alienam miseriam sublevandam: effectus sequitur affectum.

Duplex distingui potest divina misericordia, altera *generalis*, altera *specialis*, non quidem secundum se, sed ratione operis externi. Prior est qua, immensa Dei bonitas, cum statuisset naturam rationalem ex nihilo condere, et denis omnibus naturæ exornare, decrevit, propter miserias hujusce nature, eam ad ordinem supernaturalem attollere. Particularis est qua Deus speciali beneficio miseriam aliquæ creaturæ sublevat, aliis in eadem miseria relictis.

445. — III. Justitia definiri solet « *constans et perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*; » sed jus alterius idem est ac debitum alteri: inde totæ species justitiæ distinguuntur quot sunt species debiti. At omissis illis debiti acceptionibus, hic advertemus aliquid dici posse alteri debitum tum ex rei alienæ acceptione, ex pacto, tum ex officio distribuendi, certa quadam proportione, bona communia, tum ratione obligationis legis. Huic triplici debito respondet triplex justitiæ forma: 1^o *Justitia communitativa*, qua cuique redditur quantum illi debetur; dicitur *reinductiva*, quando hæc æqualitas observatur inter delictum et penam. 2^o *Justitia distributiva*, qua cuique membro communitatis res distribuitur juxta ejusque statum. Prior constituit æqualitatem rei ad rem; posterior verò constituit æqualitatem proportionis ad proportionem. 3^o *Justitia legalis*, quæ conflat ex conformitate actuum legi: justi dicuntur qui conformes sunt opere et effectu legi æternæ.

446. — Cum justitia in suo formali conceptu nullam dicat imperfectionem, est Deo tribuenda formaliter. Licet enim justitia supponat debitum, id tamen in Deo imperfectionem non importat: Deus enim non est debitor præter suam voluntatem, sed ex sua libera voluntate et teni-

gnitate, qua mercedem reponisit sub conditione onerosa ex parte creaturæ.

Tamen id proprie intelligi nequit de justitia legali et commutativa, quæ non sunt in Deo secundum proprias earum rationes formales; nam 1^o justitia legalis includit debitum inferioris ad superiorem; justitia enim legali quodcumque Reipublicæ membrum tenetur etiam cum sui dispendio exsequi quæ ad bonum commune a Capite Reipublicæ imperantur. 2^o Justitia commutativa stricte sumpta consistit in æqualitate dati et accepti. Hæc autem Deum summe dedecent; quocirca in Deo proprie non sunt asserendæ justitia legalis et justitia commutativa.

Sed justitia distributiva formaliter inspecta *nullum includit defectum*. Non inducit debitum aliquid nec amissionem rei datæ. Princeps potest juste bona distribuere, quin aliquid accipiat aut speret, aut quin jus in ea supremum ab se abdicet. Verum *summam importat perfectionem*; significat enim jus superioris in inferiores.

III. De providentia.

447. — Providentia est ordinatio rerum in finem per media sive naturalia sive supernaturalia, prout finis est naturalis vel supernaturalis. Providentia igitur est vel naturalis vel supernaturalis.

De Providentia supernaturali tractant Theologi dum agunt de voluntate Dei antecedente salvandi omnes homines, deque divina Prædestinatione. Providentia strictè sumpta distinguitur a gubernatione rerum ad suos fines, ut causa distinguitur ab effectu: providentia est ratio ordinis rerum *mente* concepta et *voluntate* sancita; gubernatio verò est executio hujus ordinis. Hæc duo tamen promiscue solitò usurpantur. Itaque in divina Providentia, quadruplex munus distingui potest: 1^o creaturarum conservatio, 2^o cum eis agentibus cooperatio, 3^o earundem ordinatio ad finem debitum, 4^o hujus ordinationis executio.

Providentia requirit triplicem actum intellectus et totidem voluntatis. Ex parte intellectus exquirat: 1^o cognitionem possibilitatis tum finis, tum mediolorum, 2^o cognitionem virtutis mediolorum respectu finis, 3^o notitiam

turæ associationis finis per media. Ex parte voluntatis requiritur: 1^o intentio finis, 2^o preparatio et electio mediolorum, 3^o actualis usus mediolorum.

448. — THESIS I. *Est in Deo Providentia erga res creatas.*

Prob. I. Iisdem omnino argumentis quibus Dei existentia demonstratur, quibus addi posset ratio desumpta ex stabilitate ordinis mundi, ex consensione illa mirabili contrariorum elementorum, etc.

II. Qui vult finem, velle debet et media; porro Deus, qui est agens sapientissimus, ad finem aliquem evidenter condidit quiddam condidit. Ergo Deus velle debet media idonea ad finem assequendum, ideoque suppeditare debet perpetuò quiddam requiritur ut creature ad præstitutum finem veniant.

III. Deus *vult* rebus providere, quia est summe bonus; *potest* de omnibus curam habere, quia est omnipotens; *cognoscit* quiddam est creaturis necessarium, nam est omnisciens. Ergo.

449. THESIS II. *Deus etiam rebus vilissimis non solum in communi, sed et in particulari, providet.*

Prob. I. Deus est creator et conservator omnium rerum, etiam minimarum, quibus proinde finem proprium assignavit. Ergo tantum patere debet ejus Providentia quantum patet ejus efficientia.

II. Si Deum dedeceret minimas res gubernare, multò magis ipsum dedecisset eas creare.

450. — THESIS III. *Tamen speciali modo Deus curam habet præstantissimarum creaturarum.*

Prob. Res omnes æqualem in finem non ordinantur; atqui media sunt diversa pro diversitate finis. Ergo nobiliores creaturæ, quibus præstantior finis assignatur, præstantiora habent media, et nobiliori modo Deus ipsis invigilat et providet.

Itaque Deus creaturis rationalibus modo speciali providet quæ libertate et cognitione finis præditæ, miserimæ essent, si a fine deerrarent.

451. — *Sch.* Ordinatio rerum omnium ad finem ipsi congruum est immediate a Deo: hæc enim ordinatio est

actus internus divinæ v. Juntatis, et consequenter immediate ab ipso Deo proficiscitur, qui per se solum proposuit sibi fines quos voluit, et ad eos decrevit media.

Attamen, quoad ordinis executionem, Deus utitur causis secundis, saltem quoad inferiores creaturas, quas divina Providentia administrat per superiores; ideo providet quandoque *per alium*, non quidem propter defectum virtutis, « sed propter defectum creatura cui administratur, vel propter utilitatem illius per quem alii administratur, vel providetur (1). »

(1) Alex. Alensis, q. 26, a. 2 ad 2.

FINIS THEOLOGICÆ NATURALIS.

INDEX SYNOPTICUS SECUNDI VOLUMINIS.

METAPHYSICA SPECIALIS.

PRIMA PARS SEU COSMOLOGIA.

Metaphysicam specialem incipimus a Cosmologia, quæ de mundo corporeo dissertit. Per mundum hic intelligitur sola collectio rerum sensibus subjeclarum. Partitio tractationis.

CAPUT I.

DE MUNDO VISIBILI GENERATIM INSPECTO.

In hoc capite agemus 1^o de mundi origine, 2^o de spatio.

ARTICULUS I.

De mundi origine.

Mundus est ens compositum, mutabile et contingens, ac proinde ens ab alio. Divisio articuli.

§ I. Mundus non procedit a Deo per emanationem.

Pantheismus est hic error qui Deum cum ipso mundo identificat.

I. De Pantheismo immanente. Pantheismus ille considerat mundum ut internam Dei evolutionem; hæc evolutio diversimode concipitur: 1^o Juxta Spinosam unica est substantia, quæ se evolvit in *cogitationem* et *extensionem*. 2^o Pantheismus idealis res finitas habet tanquam ideas sub quibus Deus seipsum sibi manifestat. Tres præcipuæ formæ hujus pantheismi.

II. De emanatione transiente. Juxta illud systema, quod viguit apud Indos et Persas, Deus sese evolvens produceret mundum ipsa sua substantia.

III. Pantheismi confutatio. THESIS I. Pantheismus universim sumptus repugnat experientie et recte rationi.